DE PSEUDOIATRIS SPECIMEN INAUGURALE QUOD CONSENSU ET AUCTORITATE...

Friedrich : von Aschauer



L

Sel.

DE PSEUDOIATRIE

Specimen Inaugurale

QUOD

CONSENSU ET AUCTORITATE

SAP. AC MAGNIFICI D. RECTORIS, PERIL. FACULT. M. DIRECTORIS

SPECTABILIS D. DECANI

NEC NON CLARISS. AC CELEBERR. D. D. PROFESSORUM

AUSPICE

D.RE FRANCISCO FLARER

REI OCULARIAE P. O.

Pro Doctoris Dignitate

IN RE MEDICA ADIPISCENDA, SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE TICINENSI

Mense Februarii Ann. MDCCCXXXVIII

UNA CUM THESIBUS PROPUGNANDIS

publice offerebat

FRIDERICUS DE ASCHAUER

STYRUS KAINACHENSIS



TICINI REGII
EX TYPOGRAPHIA BIZZONI
I. R. UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

Fasin.

SEINEN SCHAETZBARSTEN ELTERN

GEWIDMET

VON IHREM

DANKBAREN SOHNE.

Dankend, aus Furcht und Zwang, bringt die Gabe dem Herren der Sklave; —

Aber aus Liebe, und frey — beuth sie das kindlich Gemüth!!

PROOEMIUM.

Teneras hasce componens pagellas in votis habui, modo facili et expedito cuique lectorum spectabilium exponere: quantum ad morbos praecavendos, fugandosque novisse, sit necesse: idque medicis solummodo et chirurgis publicis convenire: nec non pseudoiatrorum nostri aevi methodum curandi illibato veritatis amore ante oculos ponere: simulque judicium ferre, quidnam de istis sit sentiendum?

Quas primitias profecto non scribendi aviditate, sed legum rigore componere jussas, lector candide, haud iniquo animo feras!

AUCTOR.

Quemadmodum primis jamjam hominibus insitum erat, miserrimo cuique et calamitatibus presso opitulari: universi Optimus Maximus Rector, immensi moliens fundamenta orbis terrarum, benigne largitus est ea, quae afflictis mortalibus auxilio ac levamini esse possunt.

Ignari primum, quid posset juvare, quid non: nullo discrimine facto, illi remedia quaerentes rebus omnibus virtutes, viresque medicatrices attribuerunt, justo saepius eheu! fraudulenta fiducia crudeliter decepti! Ast iterum, iterumque repetitis observationibus: quaenam valeant ferre opem, quibusque sub circumstantiis, quaeque inter plurima remedia adhibita prosperiori successu operam, sudoremque adjutorum coronaverint; tandem primum quibusdam pharmacis, iisque, qui ea porrigebant, distinctior quidam gradus dignitatis tribuebatur.

En, prima vestigia antiquissimae hujus et nobilissimae doctrinae; cujus perfectionis fastigium, proh dolor! multa post saecula, vix est sperandum!

Considerantes autem: quot, quantaeque ad nos usque propagatac sint artes, scientiaeque, eo clarius hoc de nostra valet, qua demta fragilis nimium hominum valetudo immensae morborum cohorti, quae indies augeri et increscere minitatur; certe traderetur.

Tantum vero abest, ut existimemus, artem medicam — qua merum empiriae fructum — in certos tantummodo, eosque prae aliis insignes viros transiisse: ut potius sit eadem, quae nullos limites, nullaque vincula cognoscens, thesaurum constituat omnibus accessibilem et communem.

Etenim quis dubitat, quin ante tot saecula nonnulli viri, alius alia scientia remediorum clari vixerint; quique haud raro ex inferioribus civitatum ordinibus sint progressi?

Atqui, quinam alii fuere, his exceptis, qui iteratis toties periculis demonstraverant: nunc hoc nunc aliud medicamen pellere morbum, exque his, quidnam ocius aut serius, fortius aut debilius aegrum sanitati restituat?

Compertum etiam ex historia omnium populorum habemus: multos extitisse homines, qui naturae, ejusque virium exactiorem cognitionem scopum suarum disquisitionum sibi proposuerint: quippe vario ad hanc rem stimulo incitati.

Fuerunt, qui miseris succursuri huicce studio operam navarunt; alii unicam sapientiae

famam adspirantes; alii, qui victus — idque haud inhoneste quaerendi causa artem hanc nobilem exercuerunt: hique ipsi, conjungentes, seligentesque prima medicinae rudimenta, ceu fundatores nostrae scientiae sunt existimandi.

Verum non solum varios tractandorum morborum modos inquirere continuarunt, sed plurimi etiam et infimae quoque plebis homines, pronti cuique occasio erat, tam nota sibi pharmaca, quam nova hisce adjungendo; artem suam adaugere et altius evehere studuerunt.

Quumque peritiorum in hac re numerus aut nimis parvus fuisset: aut iidem — nefandum dictu — nota sibi misteriis involventes, communi hominum saluti subduxissent et tali pacto pauperiores aegrorum misericordiam ejusmodi medicorum crudelium implorare nequissent: plebs, necessitate coacta perscrutationes et detectiones hucusque factas ulterius protendit. Eo tempore pater filio, filius nepoti quaecumque de re medica sciebant ceu arcana familiae haereditaria communicarunt: ecce geminam medicorum classem ad nostra usque tempora propagatam.

Locus forsan hic foret exponendi: quonam modo medicinae studium a teneris principiis ad immensam doctrinam increverit? quam quidem decidere quaestionem paucas hasce pagellas superat, ad aliud quippe finem properantes.

Dictis tandem quantum potui necessariis de

medicinae origine demonstrataque existentia inter illos, qui praeter medicos legitimos nomen honorificum « Medici » aspirare audent : disquirendum nobis est : » quidnam emolumenti, detrimentive pseudoiatri adferant et utrum illaesa omnium hominum salute sufferendi sint, nec ne? Quae, ut exactius dilucidentur, statuere antea necesse est : » quid medenti in genere scire omnino opus sit et utrum pseudoiatrus ea cognoscat vel cognoscere queat?»

Ut autem morbus rationi consentaneo modo tractetur, requiritur, ut medicus:

I. Structuram et compositionem organismi sibi concrediti ex asse noverit (Anatomia).

II. Functiones ejusdem non solum quoad singulas partes, verum etiam ad omnes inter se relationes, tam sub statu normali, quam abnormi bene perspiciat (Physiologia et Pathologia).

III. Remediorum naturam, modum, quo parentur, eorumque, debitis dosibus porrectorum, efficaciam cognoscat (Pharmacologia).

Ut alias tot scientias medico utilissimas, nec non fecundissimas taceam : eas tantum memorare juvabit, quae scitu omnino necessaria sunt, ut medendi facultatem sensu latissimo consideratam cuidam tribuere possimus; qua quidem in disquisitione, lector aestumatissime, evincere in votis est : » utrum hisce sumi momenti scientiis ornetur pseudoiatrus, nec ne? »

I. Anatomiam (equidem de Anthropotomia praeprimis loquor) ab inclytissimis jamjam medicis et chirurgis per eminentiam medicinae oculum condictam, medico immediatim scitu necessariam esse; pluribus verbis explicare supervacaneum, imo ridiculum esset.

Attamen liceat pervestigare, num ejusdem quaedam cognitio psendoiatris nostri aevi sit?

Nostri, inquam, aevi, quum priscis temporibus rudior aliqua, quantulacunque fuerit, anatomiae notitia haud rara, sed potius mirum in modum esset pervulgata, quemadmodum depromtu facile est e. g. De Graecorum et Romanorum sacerdotibus ex mactatorum animalium extis fata canentibus; nec non ex noto illo veterum Aegyptiorum more, defunctorum cadavera condiendi.

Quid plura? Exstat in Pausaniae libris immane profecto, crudeleque Aristodemi facinus, qui, ut fata volebant, pro salute patriae filiam virginem ceu victimam mactavit; qua vero miserrima morte erepturus amator, eam ex se gravidam esse simulavit. Ast tantum abfuit, ut ferox nimium pater fidem tribuerit dictis, ut potius occisae statim filiae uterum dissectum circumstantibus ut pignus virginitatis illaesae monstraverit! Plura cupienti Mayeri Bonnensis anatomiam pervolvere suademus.

Haec quidem et alia plura demonstrant,

temporibus illis corporis humani structuram ipsis quoque profanis, bene innotuisse.

»Tempora mutantur, nos et mutamur in illis!»

Abest quidem vaticinantium turba et mactatorum hominum! Alma religionis lux et animorum sensim, sensimque provecta cultura pristinae superstitionis nubes dissiparunt!

»Sua quemque vestigia trahunt.«

Dura rusticus aratro jugera vertit: opificem suae exagitant curae: providus mercator lucrum multiplicare adlaborat: dum medicus tiro arduam studiorum suorum metam sublimem adsequi studet. Huic soli adminiculorum ad eam ducentium patent fontes, ipsi solummodo theoriae cum praxi jungendae occasio favet: ac quamvis nemini profanorum anatomiae addiscendae claudantur fores: tamen nonnisi medico sufficiens ejus cognitio est tribuenda.

Quo tandem, quaeso, pacto homo ex infima plebe lectus (nec desunt, qui hac de turba medicorum vices sufferre stolide audeant) necessaria de anatomia novisse poterit, quum neque praelectionibus interesse, neque iterum iterum repetita autopsia, neque alio modo aut saltem rarissime cadaver humanum dissectum ipsis suismet oculis conspicere potest?

Quo tandem jure et minimam immensae hujus scientiae cognitionem pseudoiatris tribua-

mus: quum non nullus eorum — incredibile dictu — scribendi et legendi peritia destitutus est?

Quid est igitur, quod non, praemissis hisce, isti medicorum faeci (etenim nil aliud sunt) generatim hancce scientiam omnino denegamus?

Quid? quum non dicam subtiliorem, imo quoque rudiorem organismi structuram et compagem nesciant, quum varii textus eorumque relationes eos fugiant atque non raro ipsorum organorum determinatus locus sit ignotus; quomodo eorundem functiones tam sub statu normali, quam abnormi divinare poterint?

Considerantes ulterius: quanto labore, quantaque symptomatum omnium comparatione ac combinatione medici versatissimi saepe saepius indigeant, ut morbi sedem, radices, ipsasque ejus causas detegant: certiores profecto reddimur: pseudoiatros ea omnia nescire debere.

Verum est, huncce hominum ordinem parum interesse, ut sciant: quo potissimum morbo aeger laboret, quam corporis parte violentissime hic saeviat; citatus enim, infirmumque obiter contemplatus, statim proximum quodque medicamen, nullum effectum nocivum praecavens, sanari cupienti porrigit, abominanda certe animi indifferentia!

Et istiusmodi, quaeso, hominibus fides est tribuenda:

Interdum quidem contingit, ut talis medicina, veluti per miraculum consentaneo modo applicata morbum sublevet aegro; sed hoc potius casum valde fortuitum, quam meditationis fructum censendum esse, neminem latet:

Ut brevibus absolvam: » Curare absque »anatomiae cognitione haud aliud est, nisi or»gani morbo correpti, nec cogniti quoad situm; »nec structuram nec existentiam defectus tollere velle«.

Atque haec est ipsissima illa immanis et horrenda methodus, qua nostri aevi pseudoiatri deplorandum vulgus tam nummis, quam — quod multo gravius, sceleratiusque — ipsamet privant sanitate!

Extat nunc:

II. De pseudoiatrorum cognitionibus ad physiologiam et pathologiam spectantibus loqui.

Subridebit, opinor, lector medicus, quod de hac re, sole clariore, plura sermocinari accingor. »Quid est, »audiri mihi visum«, quod auctor »per longinqua demonstrare desudet: homines »istos organa ipsa ignorantes, ipsorum scilicet »functionum tanto magis esse imperitos«!

Sic dicet medicus; ast, ne iniquo animo feras, lector amice, si nihilominus quaedam, haud plane superflua in medium adducam!

Patent quidem ante oculos illius quoque, qui numquam medicinae operam navarat, quaedam organismi nostri functiones, quas quotidiana ob-

servatio, innumeraeque occasiones nobis, ut ita dicam, quasi invitis aliqua saltem in parte immunt, e. g. sensuum externorum, uti cutis, visus et caet. ita, ut turbae in illis incultissimo cuique sat aperte in oculos cadant. Quis enim dubitat, sensum visus morbose affectum esse, simul ac cernendi facultate fuerit destitutus?

Longe vero aliter res se habet, si morbi alicujus fons est inquirendus.

Quot enim dantur casus morborum, in quibus tantum abest, ut pars affecta, imo potius remota et ex diametro saepe opposita dolorem accuset? Atque hic ipse dolor est, cujus in sedem isti: sympathiarum et antagonismorum inter organorum systemata plane ignari, inepta sua medicamina et curas male quadrantes dirigunt. Sentiente v. g. aegro capitis dolores ac mentis quemdam stuporem, inertiamque, juxta principia eorum nil nisi caput ipsum morbo affectum esse posse contendunt.

Quantum vero detrimenti talibus ex praemissis emanet, oporteat: ulteriori explicatione omnino non indigere constat.

Majori certe probabititate medicus, qui experimenta et pericula e tanta annorum serie facta, justoque ratiocinio cum principiis theoriarum conjuncta ex libris clarissimorum medicorum — quantum potuerat — addiscere studebat: morbi latebras, ejusque potissimas causas divinabit. Hunc edita ab aegro symptomata,

tot morborum nuntii, raro a curandi methodo adaequata seducent.

Sequitur ex supra allatis immediatim comprobatio puncti.

III. In quo pseudoiatris, non dicam, ampliores cognitiones, ut tamen minorem ignorantiam concedere aequum.

Nam ipsi ruricolae sunt (quos inter longe major invenitur pseudoiatrorum pars) qui vitam maxima ex parte in pratis et sylvis nec non in divitibus plantarum montibus, remotisque vallibus agunt, eoque haud exiguum herbarum salubrium numerum addiscunt, quarum cognitionem medicus tiro longe asperiori via, pluribusque difficultatibus adsequi potest. Quoties, eheu, plantam salvatricem aut siccatam aut fere viventi plane dissimilem, huic conspicere vix licet, dum rusticus quotidiana propemodum observatione assuefactus eam primo intuitu novit!

Prisca perlustrantes tempora videmus: illos, quibus res medicae curae fuerant, in colligendis plantis, radicibus etc. multum fuisse occupatos; nec infitias ago, magni sane momenti detectiones ab illis ad nos usque pervenisse: licet haud inconsiderabilis thesaurus eorum, quae tanto studio, tantoque labore contulerant, deploranda jactura periisset.

Innotuit v. c. antiquis jamjam Romanis vis medicatrix. Allii adversus vermes intestinales, ipso Macro poeta de eo dicente:

»In mulsa coctum, commixtum aut sit acetum
»Et bibitum vermes ventris et tineas repellit«.

Nec non Harchius in edito Basileae 1573 enchiridio medico de eo memorat:

»Nil melius vermes quod necet, aeger habet«.

Aconitum Valerii Cordi aevo jam praestantissimum pharmacon habitum esse, ex ejus libro »Pharmacorum conficiendorum rationis« titulum gerente, editoque Norimbergae anno 1551. abunde patet. Enimvero viros, qui longa annorum serie elapsa, egregiae medendi arti vacabant, innumerisque obstaculis strenue repulsis observationum et remediorum miram copiam detegebant: iniquo, foedoque »pseudoiatri« nomine inquinare abhorreo; quippe: »suae cuique debentur laudes«. Et revera persuasum mihi est, eos tunc temporis tantum concivibus suis profuisse, quantum illos, qui hodie splendidissima gloria medica insignes longe lateque celebrantur.

Etenim ea, quae veteres de re medica sciebant — neque sunt nullius notae — cum exiguis et fragmentariis nostri aevi pseudoiatrorum cognitionibus comparare injustum et ridiculum foret.

Existunt adhuc homines miselli, sylvas, rupesque inaccessas pererrantes, qui herbas, radi-

cesque collectas venumdant, eademque de causa a Germanis »Wurzelgraeber« appellantur, quique saepius a plebe inculta et credula de morbis consultantur. At, quis credet, eos praedae suae virtutes perspicere: quum nonnisi ejus habitum externum et proprietates apertissimas noscant? Vix sanae mentis ac deplorandus esset, qui ab istis, morbo pressus, consilium peteret? —

Verum concedamus, medicis istis circumforaneis, quamdam — quantulacumque sit — pharmacorum tritissimorum peritiam inesse: nempe tam pauxilla cultura medica sufficieret, tot nodosos et pertinaces tollere morbos?

Quantum enim interest, ut sciamus, num medicamentum idem coctum aut infusum extractumve, aut alio multiplici modo paratum aegrotanti porrigatur? quibusve temporis intervallis doses sint repetendae? Ut alia multa taceam, mirum in modum ad morbos pellendos conferentia!

Perscrutemur, agite, quaecumque pseudoiatri nostri struant, inquiramus, quosnam fructus experimentis suis pro salute hominum producant, et facile compertum nobis erit: quantum illis de immenso materiae medicae studio desit!

Quibus demum pertractatis elucescit, istos ne unam quidem scientiarum supra allatarum, quantum opus est, callere, ideoque tractandis feliciter morbis nequaquam sufficere.

Liceat adhuc, hisce - quantum in viribus erat - praemissis collustrare: quidnam damni pseudoiatri omnibus in ipsis fiduciam ponentibus aegris adferant, quaque crudeli ac vere nefaria nequitia miserandos illos decipiant, et praeterea quomodo conaminibus scopoque sublimi medicorum legitimorum obstent?

Verbis vix exprimi potest, quam deplorandi sint et fere irreparabili exitio traditi, quibus tam inimicum affulsit sidus, ut in ejusmodi medici circumforanei maleficas manus ceciderint. Attamen non minima illorum infelicium pars eo usque mentis culturae non progressa est, quae intelligeret, interesse quoddam inter medicos forenses et circulatores istos discrimen, haud parum influens: utrum sanitati restituantur nec nec? Sed hanc in turbam verba dirigere docentia magis aequum, quam - utut innocenti imperitia laborantes - violentis exprobrationibus castigare.

Et hoc quoque in casu contra pseudoiatros contendere nolo, quando - ut vulgus ait - solemnia medicorum sat celebrium concilia nequidquam opem ferre conituntur atque pseudoiatrus, vana superbiens gloria, intra paucos dies rem componere perhibet. »Prosit«! taciturnus inquam, »eventus promissa docebit«.

Verum illos gravi vituperatione dignos censeo, qui bene gnari, se per pseudoiatrorum arcana decipi potius, quam sanari posse: tamen

sordidae parsimoniae causa salutem et ipsam vitam circulatoribus magis quam medicis publicis confidant.

Utinam hujusmodi parci nimium meminerint, quod millies mille homines ea praeprimis de causa animam maturius aequo exhalabant, quia inepto aeris amore morbum prius levem in contumacissimum et lethalem convertebant. Considerent, vellem fore, ut cogantur medicum tandem vocare legitimum et sumtus tantopere prius formidatos quiuquies forsan sufferre; quod quidem secus cederet, hoc ab initio statim utendo.

Nocent igitur isti medicinae profanatores non solum aegris, quos vexant, fraudantque: verum etiam medicis publicis, serius, ocyus vocandis, infinita obstacula struunt, quominus miseros decumbentes, ludibrium et spem lucri istorum, omnibus frustra levaminibus adhibitis, aut post multum temporis aut — quod longe trirtius — nullo modo vitae restituere queant.

Ast, sit mihi experientia testis! vix sperare hucusque temporis licet; colluviem illam hominum, pestemque perniciosam ex civium ordinibus ac ex fide strenui cujusvis viri iri proscriptum et exterminatum; quippe justo plures adhucdum inveniuntur, tam imperiti, quam obstinaces, qui illis fidem praestent et ab istis salutem recuperare sperent, quorum artes ne-

fandae ac machinationes veneficae ab ipsis legibus sanctis civitatum detestantur et interdicuntur !

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

—o—

1. *Ad ophthalmiatreusin rite faciendam totius medicinae scientiam necessariam.*

2. *Tubercula pulmonum nequaquam ab inflammatione, verum istam ab illis.*

3. *Desquamationem cuticulae minime pathognomonicum pellagrae signum.*

4. *Juvante fortuna plus medicum mediocriter doctum, quam doctissimus, illa adversante, valere.*

5. *Nullam in rerum naturae mortem.*

6. *Musicam remediis adnumerandam.*

7. *Circuitum sanguinis, unicum.*

8. *Systema vasorum capillarium hypotheticum.*